



בשם יהוה

DISPUTATIO HISTORICA

De

DIE PARASCEVES,

vulgo

Car = Freitag/

Quam

in celeberrima

LIPSIENSIIUM ACADEMIA

AMPLISSIMÆ FACULT. PHILOSOPHICÆ

benignissimo indultu

PRAESES

M. CHRISTIANVS CLAIVS,

Sckeidizensis,

placidæ Eruditorum Disquisitioni
exhibet

RESPONDENTE

IOANNE ANDREA WEYDE,

Tangermünda - March.

Philos. & SS. Theol. Studioſo,

H. L. Q. C.

die 3. Aprilis M. DC. XCVII.



TTPIS CHRISTIANI GOEZI.



DISPUTATIO HISTORICA

DE PARAGUAYENSIBUS

1710

JOHANNES ANTONIUS WEYDNER

1710

in celebratione

ACADEMIAE

AMPLISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE

UNIVERSITATIS ALMAE MATRIS

1710

M. CHRISTIANVS CLAVVS

scripsit

placide in hunc Disputacioni

1710

RESPONDENTE

JOHANNES ANTONIUS WEYDNER

1710

Philol. & Theol. studio

1710

1710



THEOLOGICAE FACULTATIS



PROOEMIUM.



Um iuxta Theocritum *Idyll. 7. v. 12.* Ὅριον
πάντα μίνοισι, i. e. *suo quaque tempore sint fa-*
cienda; eo, quod ceu Siracides cap. XL,
25. inquit: πάντα τῷ καιρῷ καλά, *omnia suo*
tempore fiant pulchra, quæ videlicet
oportune geruntur; non incongruum Disputationis no-
stræ Argumentum fore putavi, de DIE PARASCE-
VES, quem heri celebrauimus, quemque ego non
modo ob beneficia Passionis Saluatoris nostri, toti hu-
mano generi præstita, sed & ob memoriam mei Nata-
lis mihi quotannis devoto pectore recolendum pro-
posui. *Hæc enim illa dies est, qua vniuersi Christiani,*
vt D. Bernhardi de Passione Domini, Serm. 1. f. 19. ver-
bis utar, *aut præ solito, aut præter solitum, pietatem*
colunt, modestiam exhibent, humilitatem sectantur, in-
duunt grauitatem, vt Christo patienti quodammodo com-
pati videantur. Quis enim tam irreligiosus, vt non com-
pungatur? Quis tam insolens, vt non humilietur? Quis
tam iracundus, vt non indulgeat? Quis tam delitiosus, vt non
abstineat? Quis tam flagitiosus, vt non contineat? Quis tam
malitiosus, vt non poeniteat bis diebus: Merito quidem: ad-
est Passio Domini vsque hodie terram mouens, petras scindens,
aperiens monumenta. *Mirabilis est Passio tua, Domine Iesu,*
A 2 que

*que Passiones omnium nostrum propulsauit, propitiatio omni-
 bus est iniquitatibus nostris. Quid enim tam ad mortem, quod
 non tua morte saluetur? In hac igitur Passione tria conuenit
 spiritualiter intueri, opus, modum, causam. Nam in opere qui-
 dem patientia, in modo humilitas, in causa charitas commen-
 datur. Hæc D. Bernhardus. Cuius verba ego probe volu-
 ens animo, eum superiori anno Disputationem geminam, ut-
 pote 1. de REGE AGRIPPA, & 2. de RECTO VSU
 RATIONIS in cathedra inferiori ceu Respondens edide-
 rim, impræsentiarum Præsidis iam vicem in cathedra superi-
 ori primum obiens, hanc ante alias materiam sub ventila-
 tionis incudem vocare volui, quam duabus Sectionibus,
Historica nimirum & *Problematica*, sum propositurus. Deus
 adsit nostris cœptis! Sit itaque.*

SECTIO I. HISTORICA.

CONSPECTVS.

- Proponitur §. I. Etymologia Vocis Parasceue, eiusque significatio, ubi
 simul Baronii error notatur.*
*§. II. Locus Exod. XVI, 6. expenditur, in quo Iudeis præcipitur obser-
 uatio diei Parasceus.*
*§. III. Synonyma Vocis Parasceus in genere recensentur, nimirum He-
 brae, Syra, Græca, Gallia & Germanica.*
§. IV. Cur Parasceue dicta sit Veteribus Cena Pura? causa adducitur.
*§. V. Denominatio totius huius Hebdomadæ intimatur, nec non Do-
 minicæ Palmarum & Dei Viridium.*
*§. VI. Synonyma diei Parasceus in specie adducuntur Græca & La-
 tina ex Historia Ecclesiastica & Euangelistarum.*
§. VII. Synonyma Germanica referuntur.
*§. IIX. Vera & genuina Etymologia vocis Kar: Frentag ex antiqui-
 tate adstruitur.*
*§. IX. Diem Parasceus mox in primitiua Ecclesia fuisse in usu osten-
 ditur.*

§. X. De

- §. X. Decens & legitima huius diei celebratio apud Veteres describitur.
- §. XI. Ritus Pontificiorum superstitiosi in celebrando die Parasceues enarrantur ex Durando.
- §. XII. Idem ritus carminice concepti recensentur ex Naogeorgo.
- §. XIII. Idololatria Papistarum Romæ exerceri hodie solita ad Veronicam.
- §. XIV. Consecratio Annulorum Regibus Angliæ vsitata.

§. I.

Parasceue, quoad Etymon est Vox origine Græca, ἀπὸ τῆς παρασκευάζειν, præparare, quod componitur a παρα & σκευός, vas. Est igitur vi vocis generaliter sumptæ παρασκευὴ nihil aliud, quam præparatio seu apparatus rerum ad rem aliquam perficiendam. Specialiter vero Parasceue apud Iudeos erat Præparatio ad Sabbatum, vel ad aliquod festum solenne, imprimis Paschatos celebrandum; quia die Parasceues præparabantur ea a Iudæis, quæ erant necessaria pro Sabbato & festo solenni rite celebrando. Quamvis hoc posterius (nempe fuisse ullorum festorum, præter Sabbati Parasceuas) neget Baronius in *Annal.* quem solide refutavit Casaub. *Exercit.* 16. §. 106. Vt hodie, inquit Scaliger in notis ad Festum, nonnulla sunt festa, ad quæ die antecedente fit quedam Præparatio: Sic apud Iudeos olim Sabbatum propter cessationem ab omni opere, & præcipue festorum, propter diei magni apparatus habere suas Herubim Parasceuas.

§. II.

Sextum autem diem septimanæ ἑβδομίδος παρασκευὴν Iudæi appellarunt, quæ vox sumpta videtur ex Cap. XVI, 6. Exodi ubi hæc leguntur: Erit autem unoquoque die sexto, ut parent, quod intulerit. Hoc vero futurum est duplum, supra quam collegerit (Manna) quotidie. Non tamen Parasceue & feria sexta septimanæ inuicem conuertuntur, ut omnis Parasceue sit feria sexta, licet omnis feria sexta sit Parasceue. Nam Parasceue generalius nomen est, significans non solum feriam sextam hebdomadæ, sed interdum etiam significat Vigiliam siue Profestum cuiuscunque alterius Festi solennis, quorum tria habebantur in Veteri Testamento, nempe Paschatos,

Pentecostes, & Tabernaculorum, quibus ab omni opere seruili, eeu in Sabbato, quiescendum erat. Et licet proprie Parasceue Sabbati fuerit ea pars diei Veneris, quæ a nona hora incipiebat, & circiter duodecimam definebat, vbi solemnia inibant, vti constat ex edicto Augusti apud Ioseph. l. 16. c. 10. tamen & totus dies Veneris Parasceue dicebatur. Ego interuallo παρασκευῆς seu ἐσπερισμαῦς coquebantur cibaria reliqua illius diei & sequentibus, quæ cibaria quoque Iudæis dicta sunt **שתי סעודות** cibaria duarum coenarum.

§. III.

Dicta vero Parasceue est Iudæis **ערב יום טוב** vespera bonæ diei, item **ערב ראש השנה** vespera capitis anni, Syris **ܘܠܘܢܐ** Græci eam quoque προάββατον & προέβριον appellabant. Gallis dicitur Veille de la feste, quasi dicas Vigiliam festi, quod Germani expriment: der heilige Abend. Vid. Scalig. in *Notis ad Festum. & Libro 6. de emendat. temporum*, vbi etiam docet, Patres Latinos græcum vocabulum παρασκευῆν vetere aliquando per *Cœnam putam* mutatione Gentilium, quod in Rabinorum libris appellatur **ערב**: quod voci Hebraicæ non male respondet. Nam *Herub* est ab *Hereb* Vespera.

§. IV.

Hinc Irenæus l. 5. inquit: *Parasceue dicitur Cœna pura, i. e. feria sexta. Et lib. 1. Moysi sexta die dixisse, quæ est in Cœna pura nouissimum hominem in generationem primi hominis apparuisse. Sic & Tertullianus, & vetus irenei interpres, Parasceuen Iudæorum secundum Analogiam quandam vocant cœnam puram, appellatione translata a ritibus Gentium. Nam in ritibus Paganorum cœna pura appellabatur, cœna illis apposita, qui in casto erant, quod Græci dicunt ἀγνέουσαν, vel προαγνέουσαν. Causa translationis est, quod sicut Gentiles per suam Cœnam puram ad mysteria & sacra præparabantur; Ita Iudæi per Parasceuen suam ad festa sua solemniora. Hic vero istud obseruandum, quod licet pro eodem sumantur appellationes Parasceues & Cœnæ Puræ, in re tamen discrimen ingens fuisse. Nam in ritibus Paganorum multiplex erat ciborum obseruatio, Sic dicit Arianus in *dissertationibus Epicteti* eum qui suscepturus e-*

rat

rat mysteria, accessisse προηγεύοντα, id est, postquam obseruasset leges Castimoniae, proprias illis mysteriis, quibus imitari volebat, Pars autem Castimoniae, siue, vt veteres loquebantur, castus illius erat posita in ciborum delectu. In Hebraeorum vero ritibus nihil eiusmodi fuisse legitur. Habuerunt sane etiam apud hos Parasceuae magnarum festivitatum obseruationes. Sed delectum fuisse aliquem ciborum ultra legem Mosaicam, quae omnes ex æquo adstringebat, neque in Scripturis legimus, neque in Talmudicis aut Rabbinicis scriptis.

§. V.

Christiani memoriam Passionis Dominicae recolentes, vti totam hanc hebdomadam praeteritam dixerunt παθητική, Passionalem; Ita eiusdem sextam feriam appellauerunt diem Parasceues. Vnde Rabbanus l. 3. c. 37. de Cleric. Instit. Parasceue, ait, est sexta Sabbati, qua Christus in cruce mortuus est. Nam die Solis, quae hodie dicitur Dominica Palmarum, item Ramalia & Verbenalia, Græcis Ὁρθόγεια, Christus humani generis Saluator asinae insidens, ingressus est urbem, & e templo eiecit vendentes & ementes. Matth. XXI. Die Lunæ rediens Hierosolymam, in via maledixit ficui, templumq; rursus ingrediens, Phariseos disputanter confutauit Matth. XXI. Die Martis mane reuersus Hierosolymam in templo compescuit Principes Sacerdotum, obturauit os Sadduceis & Phariseis Matth. XXII. Obiurgauit Scribas & Phariseos Matth. XXIII. Egressus in montem Oliueti, praedixit excidium Hierosolymorum Matth. XXIV. & XXV. Die Mercurii docuit in templo, vesperi reuersus Bethaniam coenauit in domo Simonis leprosi. Die Iouis (qui ob viriditatem, propter passum Christum ἀφθαλή καὶ αἰτωον perpetuo florentem & virentem secundum Theophylactum, dictus est dies Viridium) edit Pascha vesperi cum discipulis, lauit ipsorum pedes, instituit coenam dominicam, precatus est in horto ardentem, sudauit sanguinis Guttas, captus est proditione Iudæ Ischarioth. Tandem die Veneris illusus, conspuus, flagellatus, crucifixus, mortuus & sepultus est. Hinc Dominus noster Iesu Christus ipsa parasceue Iudæorum passus est, Sabbati quieuit in sepulchro, Dominica die resurrexit. Vnde Ignatius E-

pist.

pist. ad Trullianos: περιέχει ἢ μὲν παρασκευὴ τὸ πάθος, τὸ σάββατον τὴν ταφὴν, ἢ κυριακὴ τὴν ἀνάστασιν.

§. VI.

Quare hæc dies Veneris non immerito dicta est a Græcis Σωτήρια, quasi Salutaria, item μεγάλη παρασκευὴ & ἁγία παρασκευὴ. Hinc Codinus *de Offic.* τῇ μεγάλῃ παρασκευῇ ψάλλονται αἱ ᾠραὶ μετὰ τῶν ἱεροπατέρων. *In magna Parasceue canuntur hore cum Tropariis.* A Latinis nuncupatur Corona pretiosa, Dies Crucifixionis, Dies Passionis &c. Ab ipso Christo appellatur *Baptismus & Poculum*, ob undas Passionum irruentum *Luc. XII. 27. Matth. XXIII. Abitus & Reditus ad Patrem Ioh. VI. 33. Eiectio extra vineam & cedes eiecti. Matth. XXI. 39. Hora. Ioh. XII. 27. Exaltatio scil. in cruce, & Clarificatio per mortem & resurrectionem. Ioh. XII. 31. 32. De quibus nominibus consule B. Bebel. Antiquitat. Eccles. art. 6. Sect. 5. p. 512.*

§. VII.

Sed deueniendum nunc est ad ipsam Germanicam denominationem huius diei, deque varietate illius apud autores passim obuia paulo accuratius prospiciendum nobis erit. Dicitur autem v. gr. *der Bluttag/ der Mordtag/ der Todestag/ der Genugthuungstag des Sohnes Gottes/* eo, quod sufficientissima sanguinis *θεανθρώπου* profusione, eiusdemque morte crudelissima pro peccatorum nostrum mole, læsæ Dei Iustitiæ satis omnino factum sit. Dicitur porro *der gute Freytag/* eo, quod Saluator benignissimus, hac die ea omnia, quæ Protoplasti nostri parentes, dolenda cheu legis diuinæ transgressione perdidierunt, obedientia sua omni ex parte recuperaverit, pristinaque bonitati restituerit. Dicitur vltorius *der stille Freytag/* eo, quod perpeffis omnis generis suppliciiis, vndisque dolorum Passionalium præterfluxis in sepulchro, patientissimus Dei Agnus quieuerit, in cuius etiam rei memoriam hoc ipso sepulchrali die omnia sacra, sedato quodam more peraguntur, siquidem campanarum sonus in quam plurimis locis non auditur. Insuper etiam placato iræ diuinæ æstu, legisque tonentis impetu, perpetuum morti pariter atque diabolo silentium imposuerit. Dicitur tandem *der blutige Jüdische Freytag.* de qua appellatione, vt & cæteris vide sis B. Dillherri *heilige Karwoche* pag. m. 247. seqq.

§. VIII.

§. VIII.

Vulgo tamen dicitur *Der Karfreytag*/ qua denominatione iam olim a Teutonibus haec dies insignita fuit, non tam ob vniuersam illam charitatem, quam eo ipso die hominibus perditis sua morte testatam fecit *Ἡμέρα θανάτου*, vel quod carior pretiosiorque dies ab orbe condito haud illuxerit, ceu nonnulli Philologi aiunt, eius Ety-
 mon latinæ linguæ tribuentes; sed ob antiquam & obsoletam Germanorum vocem *Kar*/ quæ in civili foro malectam pro delicto, in sensu Ecclesiastico vero ieiunium aliquod dierum in solo pane & aqua (rigidissima enim penes veteres Christianos per hanc hebdomadam *poenosa* quæ latinitati infimæ audit, erant jejunia,) significat. Erat autem priscis Teutonibus, Celtis puta & Gothis *Karen* nihil aliud quam *sorgen*/ vel *sich wehe thun*/ *trauen*/ *büssen*/ *sich straffen*/ *martern*. Inde Angli hodiernum *care not* inquirunt, hoc est, *sorget nicht*/ quam vocem, uti quam plurimas alias jam ante mille & ducentos annos secum in Britanniam transportarunt, a Brittanis quippe contra Scotas in auxilium e Germania vocati, qui & rebus contra Gothos præclare gestis, sedem ibi suam fixere. Nec aliter hæc dies olim in Conciliis dicta, quam *Carina*, observante id Josua Arndio in *Lexico Antiquitatum Ecclesiasticarum*, ubi festa totius anni enumerat: *Cum eo die*, inquit, *Servator pro multis peccatis nostris debita satisfecerit, & cum Sacro Sanctum in pane & aqua ieiunium eo die esset*. Ab hac voce putat Nonnemo etiam latina vocabula: *cura*, *curia*, *curare*, item *cor* in latium fuisse per Celtas & Gothos derivata, sed putat. Vide interea Joh. Ludov. Praschium in libellis duobus, *dissertatione videlicet de origine Germanica Latina Lingua & Onomastico Germanico Latino*.

§. IX.

Si festa Christianorum perpendamus, ex Origene, *lib. 8. contra Celsum* constat, etiam Parasceuen Paschæ numeratam fuisse inter solenniores Christianorum festiuitates. Credibile igitur est, hunc diem ante Pascha propter Passionem & mortem Domini statim at temporibus Apostolorum solemnem fuisse. Quem postea Constitutio Constantini Magni adhuc celebriorem fecit, qua mandavit, ut is dies, qui Sabbatum antecedit, festus esset & omnes eum venerarentur,

B

tur,

tur, ob rerum earum memoriam, quae eo die a communi omnium
Seruatore gestae sunt, teste Eusebio *lib. 4. de Vita Constantini & So-*
zomenes lib. 1. cap. 8.

§. X.

Credendum autem hunc diem ab initio *commemoratione Pas-*
sonis Dominicae, jejuniis, precibus, aliisque piis exercitiis Christianos
coluisse. Nam de jejunio hoc die non solvendo ita sancit Conci-
lium Toletanum 4. circa annum 831. celebratum can. 7. *Quicunque*
in die Passionis Domini jejunium, prater parvulos, senes & languidos
ante peractas indulgentiae preces solverit, a Paschali Gaudio depellatur,
nec in eo Sacramentum corporis & sanguinis Domini percipiat, qui di-
em Passionis ejus per abstinentiam non honoravit. Et Can. 89. Con-
cilii Constantinopollitani 6. praecipitur, *ut hic dies in jejunio celebretur*
usque ad mediam noctem.

§. XI.

Successu autem temporis multis & variis adeoque superstitiosis
nec non ridiculis ac theatricis ritibus haec dies passionis Dominicae
in Papatu admodum profanata est. Nam ut nihil dicam de strepitu
crepitaculorum, quibus loco campanarum tota hac septimana utun-
tur, Durandus *lib. 6. cap. 77.* sic hosce ritus recenset: Hac die Eccle-
sia nullum officium solenniter celebrat, sed hora 9. convenit ad ad-
orandam crucem, non ad missae officium, quo haec dies caret. In
quibusdam Ecclesiis hora 6. ignis extingitur, & rursus 9. accendi-
tur. Passio legitur (a) super nudum pulpitem & nudis pedibus. In
quibusdam vero Ecclesiis Sindon, seu tersoria, vel vestes altari nuda-
to suderponuntur usque dum Passio legatur. Cum vero peruenitur ad
locum illum: *diviserunt sibi vestimenta mea &c.* tunc subdiaconi
Sindonem illam vel tersoria tollunt, representantes historiam, qua
milites Christum crucifigentes vestes Christi sustulisse narrantur, &
subdiaconi quasi furtive pannos subtrahunt, ad notandum, quod Jo-
annes qui cum Domino usque ad cruem perseveravit, postea more
furis (b) se occultavit, & nudus effugit. In quibusdam locis una ve-
ste sublata, altera super altare remanet, ad significandum, quod ve-
stis Domini inconsultis non fuit scissa, vel partita, sed sorte super
eam missa contigit integra uni militi. Consequenter sacerdos cru-
cem

cem velatam bajulat ad dextram cornu altaris, ibique crucem super
humeros ferens, in persona Christi improperat Judæis beneficia Do-
mini, dicens: Popule mi, quid feci tibi, aut in quo contristavi te?
responde mihi, quia eduxi te terra de Aegypti &c.

§. XII.

Ritus hos paulo aliter recenset Thomas Naogeorgus lib. 4. Re-
gui Papistici, verbis sequentibus:

*Luce Sacerdotes duo circum altare sequenti:
Idolum portant humero Christi in cruce fixi,
Ruffa contectum casula, lugubre canentes,
Strata super villosa tapetia, suppositumque
Pulvinar capiti: hinc prostrati corpore toto
Omnibus infigunt perfossis basiæ membris,
Ligneum & idolum summo venerantur honore.
Hos dein certatim ratorum turba sequuntur,
Impietatis ut artifices ad talia semper
Præcedunt: post quos tractabile vulgus adorat.
Dona fereus pariter, nummos cereremque vel ova,
Aucupium rasis gratum, cultusque scelesti
Speratum pretium. Quo pacto idola coluntur.
Catholica hæc si sunt, Christi que imitamina sponsa,
Prætereane quid simulacris ludere cessent,
Et pro derisu regnantem exponere Christum,
Assumunt aliam statuam pro more jacentem
Defuncti nuper, porrectis cruribus apte,
Atque decussatim compositis pectore palmis,
Et pompa cantuque pio ad factum ante sepulcrum
Portant, sericis tectam membra omnia peplis,
Sic tamen ut cerni possint: multicia dicas
Serica, sic visum transmittunt, cunctaque monstrant,
Præcedunt pueri tabulis in amœna crepantes
Lumen & aditus præfert, Scit signa popellus.*

*In genua extemplo cadit, aut terra oscula figit,
 Extenditque manus, & multis pectora tendit,
 Et statnam quernam divinum ut numen adorat.
 Ne jaceat vero inque sepulcro sola colatur,
 Mysticus adfertur quoque & una clauditur intus
 Panis, ut impietas crescat cultusque profanus.
 Sacrificus supplex statuam veneratur inertem
 Primus, & Assyrios Pani succendit odores.
 Multo statim populus comportat lumina circum,
 Cancellisque haret noctemque diemque precatur
 Curvatis genibus, violisque & flore sepulcrum
 Omnigene exornat, suaque offert munera longe.
 Adsunt cuncti quoque qui Psalteria cantent
 Alterni, defuncto homini velut atque nocenti,
 Vi magis hinc plebs tunc ad munera danda vecetur.*

S. XIII.

Romæ quoque hoc die monstrari solet *Veronica*, hoc est sudarium
 Christi, cui sanguinis guttas abstergens, faciem suam impressis-
 se narrantur, quæ adhuc in eo cernitur. Eam videns cunctus popu-
 lus stentorea voce clamitat: *Misericordia, Misericordia.* Idem su-
 darium mox his rhythmis adorant, supplices:

1.
*Ave Facies præclara,
 Quæ nobis in crucis ara,
 Facta es sic pallida.*

2.
*Anxietate denigrata,
 Sudore sanguinis rigata,
 Te texit linteolus.*

3.
*In quo mansit tua forma,
 Quæ Passionis tua verma,
 Cunctis es prælucida.*

4.
*Hæc cordi meo sit impressa,
 Per te Christe nec cessa,
 Hoc cremare indefessa,
 Amoris tui facula.*

S. VI

*Vt posthanc vitam cum beatis,
Posim vultum Deitatis,
Et videre voluptatis,
In perenni Gloria. Amen.*

De qua Oratiuncula ante Veronicam dicenda trium annorum & quadraginta dierum *Indulgentiæ* datæ sunt ab Innocensio IV. Pontifice R. circa annum 1250. teste Holpiniano *de Origine Festorum* pag. m. 78.

S. XIV.

Reges denique Angliæ, ut scribit Polyd. Vergilius *lib. 8.* consueverat hoc die Parasceves, multa ceremonia sacrare annulos, quemadmodum pontifex R. sequenti die Cereum Paschalem, quos, qui gerunt, comitiali morbo non vexari breduntur. Qui mos inde natus est, quod in templo Westmonasterii, Annulus, multa veneratione per diu servatus fuit, qui salutaris esset membris stupentibus, valeretque adversus comitalem morbum, quum tangeretur ab iis, qui eiusmodi tenerentur morbis. Annulus hic allatus dicitur Eduardo Regia quibusdam Hierosolyma venientibus, quem ipse diu antea pauperi olim dederat, qui pro amore, quem erga D. Joannem Evangelistam habebat, elemosynam petierat.

SECTIO II. PROBLEMATICA.

CONSPECTVS.

Evoluuntur quatuor questiones magni momenti Chronologica, quarum.

- I. *An Christus Pascha suam eodem die cum Judæis celebraverit? quod negamus.*
- II. *An Christus die Jovis, an vero die Veneris passus sit? quorum porius affirmamus contra Wilhelmum Langium.*
- III. *Quo die mensis Christus passus sit? determinare certo non potest.*

C 3

IV.

S. IV. Quota hora diei Christus sit crucifixus? Circa horam sextam diei juxta computum Judæorum, quæ nobis est duodecima id factum esse ostenditur.

QVÆSTIO I. CHRONOLOGICA.

An Christus eodem die Pascha suam cum Judæis celebravit?

Negamus contra (a) Thomam de Aquino, Gersonium, Alcuinum, Barradium, Cornel. a Lapide, Guil. Estium. (c) Contra Bezam, Brugthonum, Annotatores Anglicanos ultimos, & Clappenburgium: Hi omnes asserunt, eodem die ordinario, nempe, Luna decima quarta, & Judæos & Christum Pascha suam celebrasse. Nos autem cum celeberrimis Chronologis, quos interest Scaliger, Calvisius & Burgenfis, dicimus Christum in celebrando Paschate observasse terminum legalem seu diem a DEO ipso præscriptum Exod. XII. 6. nempe lunam 14. mensis primi Nisan, qui nobis est Aprilis, adeoque quinta feria septimanæ, quæ fuit dies Jovis Agnum Paschalem cum discipulis suis comedisse: Judæos vero tum temporis observasse terminum a lege divino alienum & extraordinarium, nempe circa vespeream die Veneris Pascha suam celebrasse, cum jam Christus de cruce sublatus fuisset. Id quod probamus ex historia Evangelistarum. Nam primo Joh. XVIII. 28. dicitur, quod Judæi noluerint intrare prætorium, cum mane Jesus a Caipha in prætorium deductus est, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Nondum ergo tum comederunt pascha Judæi, quod Christus jam præterita nocte fecerat. Secundo dicitur Joh. XIX. 14. Christus condemnatus in Parasceve Paschatos, ergo ante Pascha Judæorum suam Pascha celebravit. Idem Johannes ejusdem Capituli versa 31. ponit etiam absolute παρασκευῆς, quod Marcus XV. 12 προσάββατος appellat. Unde evidenter nostra sententia confirmatur. Tertio idem Johannes Evangelista testatur eodem c. XIX. 31. quod tum temporis, cum jam crucifixus fuisset Salvator, proxime imminabat magna dies illius Sabbath, in quod scilicet Judæi celebrationem Paschatis extraordinariam trans-

transtulerint, Probatur enim jam dederunt iavictissime *Paulus Burgensi, Scaliger & Casaubonus* e testimoniis Rabbiorum, Judæos solitos fuisse ex decreto Synædrii, primum diem Azymorum, quo Agnum Paschalem comedere a Deo iussi sunt, si incidit in feriam septimanæ sextam, sive in diem Veneris, transferre in Sabbatum, ne videlicet *due magna solennitates* se continuo sequerentur. Ex. gr. Sifestum Palmarum in Sabbatum incidisset, citra legis violationem Sabbatum rite celebrari non posse arbitrabantur, quando ramos Palmarum colligere & circumferre sine labore die Sabbati prohibito non possent. Deinde si festum Paschæ aut expiationis Sabbato fuisset concinnatum, per duos integros dies permanere eos oportuisset in Synagogis, vel templo orantes ac jejunantes. Nullum enim cibum parare eis licebat, & is, qui profanis diebus fuit præparatus, vix per triduum aut integrum biduum a foetore & putredine in calida illa religione conservari potuisset: hoc vero nimis grave & molestum iis videbatur. Quamobrem ne tam incommode festa caderent, *Translationem solennium festorum* in diem sequentem excogitarunt. Hinc *quarto* argumentamur: Si Judæi eodem die cum Christo Pascha celebrassent, Luna nempe decima quarta, tunc sequente die, seu primo Azymorum, opera servilia ipsis utique illicita fuissent, a quibus religione festi prohibebantur. At decima quinta die, seu feria sexta causas agebant capitales; & Christum crucifigebant, & alia opera a festo die aliena peragebant, atque ideo verebantur Christum comprehendere, dicentes: *Non in die festo, ne tumultus fiat in populo.* Matt. XXVI. 5. Ergo Deniq; Nicodemus & Josephus, eo die, quo Christus Pascha celebraverat, emerunt vuguenta ac Sindonem, & Christi crucifixi corpus tulerunt de cruce & unctum sepelierunt Marci XV. 46. quod non permisissent ipsis Judæi, si Pascha eodem die celebrassent. Et testatur Marcus aperte, quod tum adhuc fuerit *πρὸς ἄββατον*. Joannes vero c. XIX, 42. addit, factum id esse, quod Christum in monumentum reposerint, propter Parasceven Judæorum. Ergo Nicodemus & Josephus ante Paschalem Judæorum festivitatem hoc officio defuncti sunt. Quod Objectiones Adversariorum attinet, sunt ex facili solvæ. Nam (1) quando inquit, *Christum prima die azymorum Pascha comedis-* se testibus Evangelistis Matt. XXVI. 2. 17. Marc. XIV. 1. & Luc. XXII. 1. Ergo

Ergo id factum esse Luna decima quarta mensis ; Respondemus Evangelistas respicere ad *Legem Dei*, non ad *Judaorum consuetudinem & traditionem*, quod etiam verbis Lucae innuitur : *venit dies azymorum, in qua* NB. necesse erat *occidi Pascha* Christus igitur, ut in omnibus adimpleret legem Dei, Luna decima quarta comedit Pascha, & per consequens crucifixus fuit ipso die festo Paschæ, h. e. eo die, quo juxta legem Paschalis solennitas celebrari debuit. Illa tamen dies fuit Parasceve Paschæ, juxta Judæorum observationem a Patribus institutam, qui ea die, qua Christus fuit crucifixus, comederunt Agnum Paschalem vesperi.

(2) Objiciunt Johannis cap. XIII. 1. *ante diem festum sciens Jesus, quia venit hora &c.* His verbis Johannem affirmare dicunt, diem Passionis Christi fuisse illo anno solennem ac festum, ex quo necessario sequitur, ut die præcedente, nempe feria quinta, seu die Jovis Judæi Agnum comederint Paschalem. Resp. eodem modo, fuisse diem festum secundum *legem*, sed non secundum *traditionem & observationem Judaorum*.

QVÆSTIO II.

*An Christus feria quinta passus sit,
an vero sexta?*

Posterius unanimi consensu affirmant Chronologi: a quibus tamen dissentire non erubuit *Wilhelmus Langius lib. II. de anni Christi pag. 379.* hæc scribens: *Infalibilis ac ἀναντιλεπτος* passionis character est, quod incidat in *feriam quintam, sive diem Jovis, non feriam sextam, sive diem Veneris, sicut hæctenus, ut ait, perperam creditum.* Et pag. 422. *Christum, inquit, in Paschatis feria quinta passum esse, ita ex Scriptura demonstratur, ut nemini Christiano contra fari integrum sit.* Quam temeritatem Novatoris ex merito castigavit *D. Wandalinus Diatriæ Historico-Theologica de feria Passionis hic Lipsiæ Anno 1650. edita.* Refragatur certe novella hæc opinio expressissimis Scripturæ S. testimoniis, quæ diem Passionis Christi Parasceven nominat, & quidem non solum *παρασκευὴν τῆς πάσχα*, Joh. XIX, 3, sed & absolute *παρασκευὴν. v. 22.* ad invendam Parasce-

ven

ven Sabbati hebdomadalis, quam D. Marcus expresse προάλλατον appellat cap. XV. 42. *Objectionem* primariam Novatoris quod concernit ex Matth. XII. 40. de Jona in ventre Ceti jacente desumptam, in promptu est Responsio, intelligendos esse *dies non naturales* 24. horarum distincte computatos, sed *civiles*, seu τρια νυχθημερα, Ebraismo recepto, cujus gratia conferatur 1. Sam. III. 12. Esth. IV. 16. quia non expletis tribus diebus, sed εν τρισιν ημεραις, & τη τριτη ημερα resurgere debuit Christus. Joh. II. 17. 18.

QVÆSTIO III.

Quo die mensis Christus passus sit?

VTi de *mense*, ita de *mensis die* variæ quoque ac discrepantes sunt Patrum in primitiva Ecclesia atque Chronologorum sententiæ. Alii enim statuunt fuisse mensem *Martium*, ejusque diem vel 7. vel 18. vel 21. vel 22. vel 23. vel 25. vel 26. vel 30. Alii vero asserunt fuisse mensem *Aprilem*, ejusque diem vel 2. vel 3. vel 11. vel 23. de quibus Autorum divortii consule Hospinianum *de Orig. Fest. Christ. p. m. 86.* Postremam sententiam statuminare conatur Scaliger *libro de emendatione temporum.* Hinc ex Hilarii instituto, ut testatur *Middelburgensis part. 2. Pauline lib. 5. c. 1.* ne errarent Ecclesiæ pluribus in locis, præsertim in Italia, sextæ quæque feriæ mensis Martii sacrae & celebres habebantur. Hæc diversitas autem sententiarum notante Hospiniano loco cit. inde nata est, quod dies Passionis Dominicæ in Scriptis Evangelistarum atque Apostolorum, nec non eorum, qui Apostolos proxime secuti sunt, expressus non inveniatur. Id vero non casu aut fortuito, sed singulari Dei consilio factum esse certum est, ut tam alti & imperscrutabilis Mysterii dies in obscuro esset. Sic enim re ipsa docere voluit, contra Pontificios, eorumque superstitiones, quas jamtum prævidit, nullum diem & tempus alio sanctius habendum, & memoriam rerum olim pro generis humani redemptione gestarum non sic certis temporibus ac diebus alligatam seu affixam esse, ut non alio, quam illo ipso præcise, quo gestæ sunt, si maxime ex usu Ecclesiæ esset, ipsaque necessitas postularet, celebrare & colere liceret.

C

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

Quota hora diei Christus sit crucifixus?

Difficilis admodum soluta hæc est quæstio ob historicam relationem duorum Evangelistarum, *Marci* videlicet & *Johannis*, qui sibi hac in re adversari videntur. Nam *D. Marcus* cap. XV. 25. dicit fuisse *horam tertiam*, *D. Johannes* vero cap. XIX. 14. asserit fuisse *ferme horam sextam*. Hinc nonnulli eo temeritatis & audaciæ prolapsi sunt, ut vel *Marci*, vel *Johannis* textum corruptum esse statuerint, quos intersunt *Thomas Aquinas*, *Cajetanus*, *Sixtus Senensis*, *Melchior Canus*, *Petavius*, *Beza*, *Robertus*, *Stephan. Jac. Vsserius*, & *Wilhelmus Langius*, cujus supra quæst. 2. facta est mentio. Sed recte *Jesuita Maldonatus* his respondet *Comment. in Matih. XXVII. Nimis audax semper mihi ea visa est conjectura, apud Marcum scriptorem culpa vitiatum esse numerum, & quia non alio nititur argumento, quam quod, qui ea utuntur, non possunt hujus loci difficultatem explicare; Et non debemus, ut Scripturam interpretemur, corrumpere. Idem statuit & Hugo Grotius, qui cæteroquin facile propendet in corruptionem textus sacri, teste magno Calovio in *Bibl. illustr.* tamen in *Annot. ad Marc. XV. 25.* hæc profitetur: *Nihil in Scriptura Marci aut Johannis contra vetustissimorum Codicum & μεταφραστῶν auctoritatem immutandum.* Quare nos dicimus ab utroque Evangelistarum vera dici, sed diverso respectu, nempe *ratione computi horarum* apud Judæos tum temporis observati. Vnde locorum *Φαινομένων* pugnantium conciliationem cum nostris Auctoribus ex *Centuriis Magdeb. cent. 1. lib. 1. cap. 10. pag. 140.* hanc afferimus. Diem in quatuor quadrantes, vel horas majores tributam fuisse, uti nox in quatuor divisa fuit vigilas: quomodo primæ vigiliæ mentio fit *Thren. II. 19.* ita ut singulis quadrantibus & vigiliis tres horæ assignatæ fuerint. Hinc quadrantem secundum ab initio suo *Marcus* vocavit horam tertiam; *Johannes* vero a fine suo sextam, intra quam crucifixio contingebat, h. e. tempore inter tertiam & sextam horam intermedio; quadrante nempe illo, qui ab hora tertia incipit, & in sextam desinit. Sic hæc loca conciliant e Pontificiis *Baronius*, *Maldonatus*, *Barradius*, *Forerus*, *Valentia*, *Suarez*, & *Iansenius*. E Reformatis*

tis

tis ipse Calvinus, Beza, Gualtherus, Rollocus, Deodatus, Alstedius, & Bailius. E nostris præter citatos Centuriatores Magdeburg. B. Gerhardus & B. Valtherus. Aliam B. Calovius in Bibl. Illust. tom. I. p. 149. affert conciliationem, inquit: *Apud Marcum hora tertia intelligenda est a traditione Pilato facta, ita ut Evangelista omnes actus principales Iudicii adversus Christum suscepti triborio desinitos insinuarit, ac primo quidem diei triborio Synedrui conventus celebratus sit, ac hora prima diei Parasceves Marc. XIV. i. consultatio instituta, novum examen susceptum a toto Synedrui Luc. XXII. 67. seqq. decretum factum, quomodo Pilato tradendus sit. Ab illa ergo traditione circa horam diei tertiam facta, tribus scil. horis ante crucifixionem, hora enim tertia erat (ab illa traditione) cum crucifigeretur, evenerunt ea, quæ coram Pilato & a Pilato gesta sunt, donec Christum condemnaret, & crucifigendum traderet, quod proinde circa horam sextam diei factum, vel tempore meridiano. Qua hora etiam Adamus lapsus censetur, ut non minus hora, quam dies prævaricationis, horæ & diei redemptionis nostræ conveniat, quemadmodum observat Theophylactus, inquit: *Sexta diei homo est conditus, qui & sexta hora de ligno comedit: qua igitur die Dominus hominem condidit, eadem & lapsum curavit, sexta die & sexta hora cruci affixus. Pro quo ineffabili beneficio sit.**

SOLI DEO GLORIA.

Notas hæc, quæ propter summam festinationem fuerunt omissæ, Benevolus Lector in lectione §. XI. haud gravatim adhibeat.

- (a) *Putat lingua latina, sic enim omnia sacra in Papatu peraguntur.*
- (β) *Hæc non modo falsa, sed & blasphema sunt in Spiritum Sanctum. Nam quod Marci XIV. 51. narratur, id nullo modo ad Joannem accommodari potest, qui Christum captum illico secutus est, & Petrum adjuvit, ut etiam ipsi atrium Pontificis ingredi liceret.*

COROL.

94 T. 2520

COROLLARIA.

ex

PHILOSOPHIA

1.

Instrumentali.

*Tres tantum dantur disciplinae Instrumentales.
Logica non incommode dividi potest in partem Perceptivam &
Traditivam.
Duo tantum dantur Praedicamenta.
Philosophi est scire, non credere.*

2.

Theoretica.

*Metaphysica etiam Lexicon Philosophicum dici potest.
Dantur Qualitates Corporis Naturalis.
Baculi Aegyptiorum Magorum non fuerunt realiter mutati in
serpentes.
Eclipsis facta, moriente Salvatore, non fuit naturalis.*

3.

Practica.

*Historia merito annumeratur Philosophiae Practicae.
Jus Naturae recte dicitur Norma actionum Ethicarum,
Politica & Jus Publicum differunt.
Tres dantur Sectae Politicorum.*

✿ (G) ✿

V. D. 17

m. 17

Q.K. 417,9.

DIE

LIP
AMPLIS

M. CH



ICA

VES,

EMIA
SOPHICÆ

LAIVS,

E,



Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches
Centimetres

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue